

Franz Albert Aepinus Heinrich Schlichting

Paradoxa Philosophica

Rostochi[i]: Richelius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732462592>

Druck Freier  Zugang



Re. phil 1696

Q. D. B. V.
PARADOXA
PHILOSOPHICA,

qvæ,
Auxiliatoris supremi auxilio,
&
benevolo Amplissimi Philosophorum
Concilii consensu, atqve auctoritate,
exponent,
inq; celeberrima Mecklenburgensi Academia,

Anno 1696. d. 23. Septembr. hor. mat. consu.

IN AUDITORIO MAJORI,
publicæ, atqve amicæ Eruditorum ventilationi
subjicient,

PRÆSES,
M. FRANCISCUS ALBER-
TUS ÆPINUS,
Mecklenb.

&
RESPONDENS
HENRICUS SCHLICHTING.
Hamburg. S. S. Th. & Ph. Stud.



ROSTOCHI,
Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Sen. Typogr.



PATRI SUO,

OMNI VENERATIONE, ET FILIALI OBSEQVIO AD
CINERES USQVE PROSEQVENDO,

VIRO

NOBILISSIMO, ATQVE SPECTATISSIMO,

INCLYTÆ LIBERÆQVE

HAMBURGENSIIUM

REIPUBLICÆ QVINDECIM-VIRO GRAVISSIMO,

OPTIMEQVE MERITO, AD D. MICHAELIS JU-
RATO FIDELISSIMO,


**DISPUTATIONEM HANC
PHILOSOPHICAM,**

ea, qua par est, observantia,

offer

FILIUS,

RESPONDENS.



Favente Auxiliatore Æterno.

PRÆLOQVIUM.



go vero, alius generis persuasus rationibus, nil perniciosius, nil pestilentius hominum vitæ, animarumq; nostrarum saluti posse contingere arbitrator, quam ipsas artes, ipsasq; scientias. Cuius hæc verba, Benevole Lector! esse putas? an infestissimi Philosophiæ hostis? an qui ex amicorum ipsius numero est? Quid ipse dicam, dubito. Sunt Henrici Cornelii Agrippæ, viri, qui plurima sua scripta hac sine consignavit, ut ingenii acumen Lectoribus ostenderet potius, quam, ut per omnia veritatem quæreret, ne dicam assequeretur, aut assequi studeret. Ante omnia nos edocere id potest libellus ille, quem de nobilitate, & præcellentia foemineæ sexus, ejusdemqve, supra virilem, eminentiâ, scriptum posteritati reliquit. Si vero plures adhuc rei testes desideraveris, evolve librum ipsius de incertitudine, & vanitate omnium scientiarum, & artium, in cujus capite I. relata quoque verba offendes. Rationem autem asserti fortassis eum rogareris, & ecce! non ultima ipsi creditur, quando *nihil præcipuum habere scientiam*, inquit, *supra ipsum credere, ubi videlicet probitas Auctoris monet discipulorum liberam credendi voluntatem.* Hinc & enatum, sibi persuasum habet, illud vulgatum proverbium: *Unicuiq; perito in arte suâ credendum est.* Ast falli, atque fallere Agrippam quis asserere dubitabit? Quælibet, sanè, scientia suis gaudet propriis principiis, & cujuslibet scientiæ propria communibus illis, & naturâ notis, quæ Axiomata vocamus, sunt quasi superstructa. Ex hisce demonstrationes fiunt, seu, per hæc prædicata de suis subjectis prædicantur, ut aded de veritate thesæos nullum relictum dubium sit, quid? quod ejusmodi assertio non credi amplius, sed sciri rectè dicatur. Nec ea propter Artifici in suâ arte credimus, quoniam

Artifex dixit, sed quatenus Artificis dicta in recta ratione fundantur, vel saltem fundata præsumuntur. Reliquas ipsius rationes omnes discutere non vacat; nil tamen prohibet quo minus laudes scientiarum collaudemus. Neque laude suâ insuper privandæ scientiæ, quod in quibusdam sibi contrariari videantur. Nam, si rem rectè quis secum reputaverit, contraria hæc quidem talia videri, non autem esse ultro fatebitur. Ad veram siquidem contradictionem requiritur, ut sit ejusdem, & secundum idem, & ad idem, & eodem modo & in eodem tempore. Ubi vero hæc requisita, vel horum alterutrum deest, neque contrariari sibi, neque minus laude dignæ censendæ scientiæ sunt. Eadem vero est horum, quæ, in præsentî Disputatione Philosophica, oculis tuis subjiciuntur, PARADOXORUM PHILOSOPHICORUM natura. Ne autem mireris Titulum Disputationis, vel prorsus eo offendaris, quasi absurda tractare animus sit, observes velim alia esse, alia absurda videri, atque inter hæc nostra Paradoxa numeranda esse, subjecta cuilibet explicatio satis te superque docebit. Et, licet quidem res, quæ præter opinionem hominum fiunt, vel maximè hoc nomine veniant, nulla tamen inveniri potest ratio, ob quam non & ejusmodi propositiones, quæ absurdi quid continere videri poterant, sic appellentur, quippe quæ & à communi hominum opinione abluunt, adeoque si non omnes revera existunt, creditu tamen difficiles, apparent. Præeuntem quoque hac in parte habemus summe Rev. Dn. D. Jo. Fabricium, Prof. Theol. in Acad. Altdorff., qui in Disputatione sua Inaugurali Theologica, Præsîde Magn. Dn. D. Bechmanno Jenæ habita, centuriam Paradoxorum Theologicorum Eruitorum disquisitioni subjecit. Quod autem nos hancce, præ aliis, materiam in hac Disputatione tractandam elegerimus, non una nos commovit ratio. Non enim abs omni prorsus jucunditate, est vacua. Non nullam utilitatem promittit. Non sterilitas argumentorum hic locum habere potest. Quare, cum res ita comparatæ sint, confidimus fore, ut eo benignius, si non ab omnibus, a quibusdam tamen, hæc meditationes nostræ aspiciantur. Tuâ, profecto, A. L. benevolentia freti Disputationem hanc publicæ luci exponere ausi sumus. Nihil à te petimus, nisi, ut hoc quælecunque specimen æqui bonique consulere, tuoque favore nos, licet indignos, dignos æstimare velis. Si etiam alicubi locorum minus accommodatè dicta invenies, nulli dubitamus, quin veniam nobis libenter daturus sis, quippe à juvenibus non expectabis quæ tibi senes promittunt, neque, fructus, quos fert autumnus, verno tempore carpere, tibi dabitur. Interea te, ter Optime, terque maxime DEUS! supplices rogamus, Spiritus tui gratiâ nobis adsis, vires, quales ad propositum sufficiunt nostrum, nobis concedas, & non solum hocce tempore, sed & in posterum studiis nostris ex altissimo benedicere non desinas.

I. LOGI-



I

LOGICA UNA QUIDEM EST SCIENTIA, SED DUAS CONTINET DIVERSISSIMAS.

Quando Logica una scientia habetur, tunc Logicam intelligas generalem oportet, quatenus scilicet circa generalia tantum versatur, generalia tantum præcepta de Syllogismo præscribit, præscripta explicat, explicata rationibus munit. Verbo: cujus finis est necessaria consecutio conclusionis ex propositionibus, ob rectam harum dispositionem. Duæ vero in hac diversæ scientiæ continentur. Nemini siquidem, Logica Systemata accuratius perlustranti, resque probè perpendenti obscurum esse potest, Logicæ, pro duplici quæstionum dubiarum legitima cognitionis specie, duos esse fines, quorum unus opinio, alter veritas est. Ubi tamen opinio veritati opposita non semper falsum dicit, sed quia talis neque vera, neque falsa est, licet quædam sit falsa, monente Zeidlero. (a) Duplex autem hic finis non potest non duas distinctas scientiâs constituit, quarum una Dialectica, altera Analytica salutatur, istiusque finis opinio, hujus vero Scientia est. (b) In quibusnam præterea inter se differunt Dialectica & Analytica, ac in quibus conveniunt, ex Scherbio (c) docent celeberrimi Theologi ac Philosophi, Bechmannus, (d) & Jo. Andr. Schmid. (e)

(a) *Prodr. introd. in Lect. Arist. §. XXI. p. 75.* (b) *v. Neldel. Instit. de usu Org. Ar. in discipl. Part. II. c. III. p. 22--28.* (c) *Diss. de Differ. Anal. & Dialect.* (d) *Instit. Log. L. V. c. I. §. 13. p. 586.* (e) *Log. Posit. §. II. n. (a) p. 5.*

II.

LOGICA EST SCIENTIA PRACTICA, ET NON EST.

Logicam esse scientiam speculativam à nemine quid vox scientiæ speculativæ denotet non ignorante affirmabitur. Ex ipsius enim definitione id constat, siquidem non in nu-

da objecti sui contemplatione, id quod scientiarum theoreticarum est, subsistit, sed ad aliquid efficiendum tendit, regulas efficiendi præscribens. (a) Liceat quoque pro hac nostra sententia adducere ipsius Aristotelis auctoritatem, scientias theoreticas recensentis, nulla Logicæ mentione facta. *Quare tres utiq;*, verba ejus sunt, (b) *erunt speculativa Philosophia, Mathematica, Physica, Theologia.* Videndum igitur nunc erit, an scientiis practicis Logica rectè annumeretur? *ποίησις* aliàs & *πράξις*, (unde scientiæ practicæ dicuntur) vocabulis in strictiori significato acceptis, differre notum est. Ast quando vox *πράξεως* latè sumitur, tunc *ποίησις* includit. Distingvuntur tamen & in hac acceptione, ut *πράξις* alia sit moralis, artificiosa alia. Ista Auctoribus (c) describitur: quod sit voluntatis actus, quatenus sua natura dirigì potest ad bonum per præcepta bene vivendi. Hæc vero, quod sit illa actio, quæ per regulas artis dirigibilis est. His visis, liquet Logicam non esse scientiam practicam in sensu strictiori, esse tamen latiori in significatione. Non esse scientiam practicam, si sermo est de praxi morali; esse vero scientiam practicam, si praxis artificiosa intelligitur. Neutiquam interim reticendum videtur, Logicam non definiendam esse per scientiam practicam, quoniam definitionem terminis ambiguis haud constare oportet, sed loco *πράξεως* *ποίησις* substituendam, ut Logicæ definitio huc redeat: Logica est scientia effectiva, docens modum inveniendi opinionem, vel scientiam. Et hoc ipsum inculcat Magnif. Dn. D. Schmid, quando Logicam definit per scientiam de arte, qui omnino videatur. (d)

(a) v. *Bechman, Instit. Log. L. I. c. I. §. 5. p. 3.* (b) *Metaph. L. V. cap. I.* (c) v. *Fr. D. Abra de Racon. Summa philos. Prælusd. Log. c. VI. p. m. 11.* (d) *Log. Post. prol. §. I. n. (c)*

III.

LOGICA POTEST, ET NON POTEST ARS DICÌ.

Quid notius, qui modo Logicam inspexit, esse poterit, quam Logicam in docentem, atque utentem sæpissimè distingu-

distingvi. Ista definiendi, dividendi, ac argumentandi mo-
dum atqve præcepta præscribit, ab aliis scientiis abstrahens,
eaqve propter Avulsa alias nuncupari suevit. Hæc vero
præcepta applicat, relatisqve sciendi instrumentis in aliis
scientiis utitur, ut ideo cum his Conjuncta, aut Permixta
audiat. Artis quoqve vocabulum non uno modo accipi
constat. Non tamen hic nobis sumitur in significatione Ra-
mi, atqve Ramistarum, (a) *pro comprehensione præceptorum
in rebus æternis propriorum, & ordine dispositorum, ad utilem
vitæ finem spectantium.* Sed hæc tantum notamus, bifari-
am id ipsum potissimum usurpari. Primo quidem proprie,
atqve strictè, quomodo ab Aristotele (b) definitur, quod
fit: *habitus quidam cum vera ratione conjunctus, ad efficien-
dum idoneus: ut neq; sit ars ulla, quæ non sit ejusmodi habitus,
neq; ullus talis habitus, qui non sit ars.* Deinde vero latè, at-
qve improprie, non solum pro operatione quadam exter-
na, sed & pro quavis mentis nostræ artificiosa cogitatione
vel operatione. His præ notatis cuilibet haud difficulter de
sensu assertionis nostræ constabit. Logicam concedimus
artem esse, intelligentes Logicam utentem, & artem in latiori
significatu acceptam. Hoc ipsum etiam velle videtur sum-
mè Rev. Patronus ac Præceptor noster Dn. D. Lindeman-
nus, Logicam per artem cogitandi definiens. (c) Negamus
autem Logicam artem esse quando vox artis strictè sumitur.
Nam quæ ratione Aristoteles doceat, artem, prout ipse eam,
(nempe strictè) sumit, circa materiam occupari externam, &
operationes edere transeuntes, Zabarella (d) ostendit. Id vero
Logicæ non est, utpote quæ primariò circa internas humanæ
mentis operationes versatur. Vid. hic summè Rever. Patro-
nus meus Dn. D. Pfuell / (e) qui, *Logica, inquit, non est ars,
scilicet definitivè, & in sensu philosophico; aliàs λογική, & a-
nalogicè ita facillè dicitur.* Rationem addit, nam *Ars operatur
externè, Logica internè. Ars per instrumenta corporea; Logi-
ca per notionalia, & spiritualia.* B. quoqve D. Dannhawe-
rus (f) fatetur: *Artis (sc. strictè dictæ) nomen Logica non*

competere, quia ad artem necessario requiritur operatio externa per vim locomotivam facta, qualem quidem Logica operatio non postulat. Conf. etiam jamjam citatus Zabarella (g) atque D. Abra de Racon. summa philosophiæ. (h)

- (a) V. Aud. Talai Praelect. in Rami Dialect. L. I. C. I. p. m. ii. (b) L. VI. c. 4. de moribus.
(c) Coll. Log. MSS. A. 92. hab. (d) oper. Log. L. I. de Nat. Log. C. IIX. p. 16. seqq.
(e) Brev. Log. p. 7. (f) Epit. Dialect. (g) l. c. (h) Log. pral. III. C. I. prop. IV.
§ VI. p. 8. 9.

IV.

ANIMALIA IRRATIONALIA DISCURSUS FACERE NON IMPLICAT.

Non in ea sumus opinione ut bruta, cum Anaxagora (a) & aliis, quos citat Plutarchus, (b) mente prædita dicamus, multo minus sententiam, μετεμψύχωσιν platonice adstruentem, nostram facimus, aut absolute brutorum animas rationales, ac immortales deprædicamus: Non tamen è contra omnem, vel sensualem quoque cognitionem, cum Cartesii Sectatoribus, contra tamen mentem Magistri sui, uti Excell. Sturmus (c) annotat, denegamus. Sensus enim, à quo omnis cognitio dependet, ita ut nihil sit in intellectu, quod antea, sive per se & primo, sive per partes suas, sive per effecta, sive per opposita, sive per fundamenta, sive per aliquid simile, non fuerit in sensu, etsi non omnes omnibus, ipsis rectè adscribuntur. Et quidem non solum sensus illi externi, visum puta, auditum, olfactum, gustum, atque tactum, sed & interni, sensus communis, Phantasia, & memoria intelliguntur. Probationem nostrarum assertionum quotidiana experientia, & brutorum operationes satis sufficientem suppeditant. Ac cur, Quæso! DEus immortalis mortalibus his creaturis organa ejusmodi sensoria concessit? Certè, ut eorum finem obtineant; oculum, ut objecta visibilia visu attingat, aures, ut sonos auditu percipiant &c. Sunt tamen animalia non unius generis, ut Aristoteles (d) ostendit, ac sensum quidem omnia habere baud diffitetur, à sensu vero quibusdam eorum non innascentem memoriam, quibusdam vero innascentem.

nasci. Et ob hoc alia prudentia, alia disciplinarum capaciora esse, quam illa quæ memorare non possunt. Ex hisce Philosophi dictis nihil absurdi nos committere nobis persuasimus, quando animalia bruta distinguimus in minus perfecta, in quibus solum locum habet apprehensio sensus, & perfectiora, quæ præter sensum & memoriâ gaudent, quorum alia auditu carent, aliis eundem cum memoria possidentibus. His autem perfectioribus cur Logicam non adscribamus Naturalem & Acquisitam? Quarum illa est facultas quædam ratiocinandi, potissimum propter usus quosdam vitæ propagandæ necessarios, à natura insita, quæ alias instinctus naturalis audit. Hæc, quam per specierum sensibilibus impressiones, sæpeque iteratas rerum observationes, imo & exemplo, imitatione, ac institutione multa insuper sibi bruta acquirunt. Hujus Logicæ ope unum ex altero colligunt bruta, saltim singulare unum ex altero singulari, licet non universale ex multis singularibus, aut singularia ex universali. Nec obstat si quis objicere vellet, discursus facere præsupponere rationem, rationem vero brutis minus tribui posse, utpote qua in essentia hominis consistit, & per quam homo a ceteris animalibus distinguitur. Respondemus enim cum D. Zeidlero, (e) *ad diversa & rationalis significata attendendum esse. Interdum namq; rationale illud dicitur quod unum ex alio colligere potest. Interdum quod præditum est facultate intelligendi & deliberandi. Hoc sensu certum est quod bruta non utantur ratione, quin potius naturæ ductu ferri Lemnio (f) dicantur. Isto vero modo non solus homo est rationalis, sed & alia aliqua animalia, quæ bruta vocamus.* Non permittitur nobis jam multis exemplis id illustrare, fufiusque probare. Fecerunt tamen id ipsum jam longe ante tempora nostra Plutarchus, (g) & non ita pridem Excell. Dn. D. Schmid. (h) Evolvat quoque, cui collibitum est, Aulum Gellium, (i) apud quem historiam abs Polyhistore illo Appione relatam, de recognitione inter sese mutua, ex vetere notitia, hominis & leonis, quam Romæ se vidisse hic scribit, lectu sane

B juncun-

jucundissimam, inveniet, ex eaque, in ea bruta discursus
facere posse haud obscure doceri, percipiet.

(a) *ref. Arist. L. I. de anima. Cap. 2.* (b) *de plac. Phil. L. V. c. 20.* (c) *Phys. Concil. Part. spec. Sect. Post. C. IV.* (d) *Metaph. L. I. C. I.* (e) *Anal. L. I. p. 219.* (f) *de occult. nat. mir. L. I. c. 13. p. 136.* (g) *Dial. quod bruta animalia ratione utantur.* (h) *Disp. de Chrysiptea brutorum Logica.* (i) *Noct. Att. L. V. c. XIV. p. m. 219.*

V.

NON ENTIS NULLA SUNT PRÆDICATA, ET,
NON ENTIS SUNT PRÆDICATA.

Non entis vocabulum bifariam Philosophis accipi consuevit. Dicitur enim non ens cui repugnat actu existere, ut adeo neque existat, neque existere possit, quale non ens est v. g. DEUS ligneus. Non ens porro est, quod quidem actu non existit in rerum natura, existere tamen potest, qualia sunt entia potentiâ. Posterior potissimum vocis non entis significatio in hoc paradoxo attenditur, quæquam prior non penitus excludatur, sed certo respectu huc etiam referenda sit, quoniam ipsius dantur prædicata, negativa scilicet, non vero dantur positiva. De non ente igitur quod non existit, existere vero potest, prædicamus, quod nulla ipsius sint prædicata, non quidem essentialia, seu necessaria, sed contingentia. Hinc magnus ille Hugo Grotius (a) canonem hunc his verbis efferri maluit: *Rei non existentis* (seu non entis) *nulla sunt accidentia.* Neque non entis dantur prædicata à sensu externo, & intrinsecè ipsum denominantia, h. e. ut abstractum prædicati subjecto, de quo prædicatur, insit. Non quoque ipsius prædicata positiva, quæ positivum aliquid dicunt, & privativa, quæ privationem quandam important, ac quæ terminis intrinsecè denominantibus opponuntur, atque sic ipsa etiam intrinsecè denominantia dici possunt, dantur. Dantur nec ipsius prædicata præsentis temporis. Sunt tamen non entis etiam prædicata, necessaria, seu essentialia, a sensu interno, & extrinsecè ab actu intellectus ac voluntatis ipsum denominantia

nantia, purè negativa, & privativa, quando nimirum termini illi, quibus opponuntur denominant extrinsecè, ab intellectu, Phantasiâ, vel appetitu. Deniqve audies ejus prædicata, quæ sunt præteriti & futuri temporis. Vid. hic in primis B. Stahl. Regg. Philosoph. (b)

(a) *de jurè belli & pacis L. II, c. IV.* (b) *Part. I. Diss. I. Reg. IV.*

VI.

HOMO ERUDITUS, ITEM, VIRGO PULCHRA EST NON ENS.

Sic enim nonnullis Philosophorum, ac Scholasticorum Simprimis, ens per accidens certo modo ad classem non entium refertur. Ens autem per accidens commodè definitur, quod sit compositum quid ex pluribus entibus ad unionem & compositionem necessariò & per se non ordinatis. Quod si E. ens per aggregationem, (non quidem, quod B. Pet. Musæus (a) annotavit, de Aristotelis, sed recentiorum Philosophorum, (b) sententia,) addere velis, quatuor potissimum entis per accidens resultant genera, quæ apud modo citatum Musæum explicata reperies. Et quidem hominem eruditum, & virginem pulchram, qua tales entia per accidens esse patet, quoniam eruditio cum homine, ac pulchritudo cum virgine non necessario, imo nec per se uniuntur. Neque enim homo ad id est factus, ut necessario sit eruditus, aut virgo, ut sit necessario pulchra. Neque hæc eruditionis natura, ut præcisè in hoc sit homine, aut pulchritudinis, ut in hac præcisè virgine locum capiat. Dum igitur, qua tales, entia per accidens sunt, & non entia sint oportet. Non quidem eo sensu, quod plane non existant, sed tantum quatenus multum sunt, seu plura entia comprehendunt, quorum unum ad unionem cum altero necessario haud destinatur. Plura enim entia non sunt ens in singulari, quod autem non est ens, id erit non ens. Nam à propositione finita negante valere consequentiam ad propositionem affirmantem ex parte Prædicati infini-

tam (si nempe prædicatum una voce absolvatur) Philosophi tradunt. (c) Non igitur gratulamur ei, qui filiam quandam facie pulchram, uxorem duxit. Caveat etiam quilibet sibi, animum ad formosissimam quampiam abducatur, non entis enim nullæ possunt esse affectiones. Multo magis studia abhorreat, qui ipse ex ente non ens evadere non vult. Risum teneatis, amici!

(a) *Instit. Metaph. c. XXIX. §. 10. p. m. 357.* (b) *v. h. l. Svar. Metaph. Disp. IV. sect. 3. n. 13. p. 82.* (c) *V. Hebenstreit. Philos. prim. P. I. C. I. Th. VI. p. 113.*

VII.

NIHIL SEIPSUM PRODUCIT, ET, ALIQUID SE- IPSUM PRODUCIT.

QVemadmodum, juxta vulgatum illud Philosophorum pronuntiatum, nihil sine causa fieri potest, ita & nihil à se ipso, tanquam à causa, produceretur unquam. Nihil enim est causa sui ipsius, uti canon philosophicus aliàs effertur. Et ratio quidem est in promptu, siquidem cum omnis causa principium est, principium vero est primum, quis non videt contradictionem involvere aliquid sui ipsius causam esse, cum esset se ipso prius, quod tamen impossibile. Interim notes velim canonem hunc absolute sic positum intelligi oportere, quod nihil se ipsum producat idem numero, idque immediatè, simpliciter, & affirmative, seu quod sibi ipsi det esse, & influat esse in se ipsum. Aliàs vero nihil absurdi dicit dicens aliquid sui ipsius causam esse, si modo rectè dictum explicetur. Potest enim, id quod vel quotidie videmus fieri, aliquid se ipsum producere secundum speciem, mediatè, secundum quid, seu cum addito, & negative. Sic quidem Petrus se ipsum non produxit, neque potuit, potest tamen producere hominem specie secum eundem. Aqua à se ipsa immediatè non fit, fit tamen mediatè, mediante glacie, vel nive. Homo non potest causa sui ipsius esse simpliciter, & quatenus homo est, potest vero cum apposito, & secundum quid, quatenus v.g. optimis litera-

literarum studiis, doctrinâque præditus est, aut veræ pietatis studio ductus. DEUS sui ipsius causa non est affirmativè, (liceat hac phrasi, non tamen in sensu suo rigoroso, uti) qui per influxum quendam, aut communicationem neque à se, neque ab alio esse suum habet, licet sit causa sui ipsius negativè, h. e. non agnoscat aliquid prius, à quo dependeat, seu a quo suum esse habeat. Vid. hic supra cit. B. Stahl. (a) Et hoc modo à se subsistere discursu interpretari solebat B. Dn. D. Bajer. quando essentiam DEI describit (b) per ens spirituale a se susistens. Ast ultimo huic nostri asserto, quod DEUS non affirmativè, sed negativè tantum à se subsistat, jamdudum se opposuit non incelebris ille Antonius le Grand, qui (c) talia scribit: *Verum est, DEUM à se ipso negative esse, seu, quod idem est, à nulla causa habere quod existat; sed contendimus negationem illam non sufficere ad naturam DEI explicandam, sed in eo aliquid positivum admitti debere, per quod in suo esse perseveret.* Si quæris quo in ergo hoc consistat? hanc audies extemplo responsionem: *Et illud dicimus esse inexhaustam & incomprehensibilem ejus potentiam.* Verum enim vero Theologi pariter ac Philosophi, imo ipsa ratio nos docent attributa divina, licet materialiter ab essentia divina non distinguantur, diversa tamen ab ea esse formaliter, seu nostro saltim concipiendi modo ex eadem fluere. Qui autem per id, quod nostro concipiendi modo essentiam DEI est posterius, ista positivè esse poterit? Simile, quod de primo homine assertur, si ab æterno fuisset, aliquam illum agnoscere debere causam, quæ illum renovet, & quodammodo singulis momentis reproducat, aliàs non sequi ex eo quod hodie sit, quod sit cras futurus; adeoque non ambigendum asserere, illam causam, quæ illum conservat, esse positivam, certè, huc non quadrat. Primo enim notum est, similia rem neutiquam probare posse. Deinde supponit rem impossibilem, quia nemo hominem ab æterno dari impossibile negabit. Accedit quod in homine istius modi detur successio temporis, quam à DEO exulet oportet, quippe

B 3

qui

qui nullam successionem per prius & posterius, aut vicissitudinem temporum admittit, quid? quod vi æternitatis suæ admittere nullo modo possit. Ut taceam consequentiam quando Auctor à substantia ex parte materiali ad immaterialem argumentatus est. Sed breviloque me tempus ipsum facit, hinc ut multa paucis complectar, fateor Le Grand in re nobiscum convenire, & contradictionem quandam tantum in terminis esse. Enim vero phraseos, DEUM propter infinitam essentiæ immensitatem à se positivè esse, non vult, esse sensum; *quasi DEUS per influxum positivum se conservet, sicut omnia creata ab illo conservantur, sed hunc, quod ejus inexhausta potentia, & essentiæ immensitas talis sit ut nullo conservatore indigeat.*

(a) *Regg. phil. P. I. Diss. IV. Reg. I. p. 93.* (b) *Comp. Theol. pos. p. I. c. I. §. VI. p. m. 192.*
 (c) *Instit. Philos. P. II. c. I. §. VI. p. 120.*

IIX.

CREATIO HUIUS UNIVERSI EX LUMINE NATURÆ POTEST, ET NON POTEST COGNOSCI.

Creationem mundi non modo possibilem, sed & universum à DEO creatum esse, ut omnia, præter DEUM, sint à DEO, tanquam ab efficiente, S. literæ testantur. An vero ea ipsa naturaliter quoque sit cognoscibilis disquiritur. Non desunt id ipsum negantes, quos apud B. Schlevogtium (a) citatos, refutatosque videre est. Nos eam & solo naturæ lumine cognoscibilem esse, & lumini naturæ ignorari ostendemus. Possibilitatem ejus nemo, nisi de divini Numinis existentia dubitans, crediderim, negabit. Non enim implicat ex nihilo, modo supernaturali, seu, per absolutam DEI potentiam, aliquid fieri posse, cum nihil omnipotenti impossibile esse poterit. De facto quoque DEUM mundum hunc aspectabilem & tractabilem, quæque in eo continentur, condidisse natura suis viribus relicta sufficienter docet atque demonstrat. Rationes hic afferri solitas brevitati studentes omittimus, apud D. La S. Jacobo (b) legendas. Ut autem quicquid hic difficultatis occurrere potest

est removeatur, tenendum, loquutos nos hætenus esse de mundi creatione, materialiter tantum & latè sumtâ, h. e. de omnium in hoc universo rerum productione, quocunqve tandem modo, ac tempore factâ. Quando vero creatio strictè ac formaliter sumitur, pro ejusmodi præcisè productionè, eo modo, ordine, atqve temporis tractu factâ, quemadmodum *ἡρότις* Historiæ mundi Scriptor, Moses (c) ex inspiratione divina Creatoris describit, nulla, sane, ratio nos cogit, ut lumen naturæ ipsam agnoscere affirmemus, qui potius id ipsum penitus negamus; quoniam neqve ex causa, neqve ex effectu, neqve ex adjuncto aut signo aliquo necessario id colligi datur. Vid. B. Dn. D. Bajer. (d) qui creationem hujus universi & primorum hominum secundum genericam quandam rationem, sub lumen naturæ cadere, excedere vero illud secundum suam rationem specificam, docet. Conf. præterea Summe Rev. Dn. D. Jo. Fabricius (e) & Magn. Dn. D. Jo. Andr. Schmid. (f)

(a) *Disp. Acad. P. I. Disp. XLIX. Th. 2. p. 417.* (b) *Curs. Phil. L. de calo & mundo, C. I. Sect. III. §. 2. p. 22.* (c) *Genes. Cap. I. int.* (d) *Comp. Th. pos. prol. C. II. §. XXI. n.* (e) *p. m. 100.* (e) *Disp. Inaug. supra Cit. Par. XXI.* (f) *Theol. Nat. pos. P. I. Sect. I. §. 25.*

IX.

ATHEI IN HAC RERUM UNIVERSITATE DAN-
TUR, ET, NON DANTUR, NEC DARI
POSSUNT ATHEI.

Dantur i. Athei improprie tales, quales olim habebantur, qui non omnino Deitatem abnegabant, sed Deorum gentilium multitudinem ridentes, vel Christianis, vel Judæis sese associabant. In horum numerum referendus Anaxagoras ille Clazomenius, qui, cum Athenienses solem ut DEum venerabantur, sciens substantiam æternam nullo modo corpoream esse posse, re accuratius perpensâ, substantiam atqve essentiam solis detegebat, Athenienses vero ridebat solemqve non, ut antea, DEum, sed globum ignitum vocabat. Hinc ab Atheniensibus Atheus habebatur, quem

quem tamen ab infanda ista opinione plurimum abfuisse aliis, quæ de eodem, præcipue apud Plutarchum, (a) memorantur, probatur. Idem etiam dictum esto de Atheis Atheismo participato, *qui consilio, permissione, imperio, aut quocumque alio modo, quo quis particeps sit alieni peccati, Atheismum promovent*, prout Excell. Dn. Hebenstreit: (b) eos describit. Ab hoc Atheismo participato haud alienum fuisse censet Cardinalem Perronum, qui, cum, referente Gisb. Vœtio, (c) coram Rege Galliarum Henrico III. habitâ oratione, probasset esse DEum, obtulit se die sequenti contrarium probaturum, si Regi allubesceret. Fert 2. ætas nostra Atheos praticos, homines talismodi vitam viventes, unde facile quis percipere potest ipsos vel prorsus de existentia DEI dubitare, vel saltim de ea non cogitare. Testatur horum, proh dolor! existentiam testis locupletissima, experientia, ut inde horum exempla accumulâtè prolata minus recte desideraveris. Inveniuntur 3. Athei, qui vocantur Theoretici sed Hæsitantes, qui quidem statuunt non dari DEum, sed cum oppositi non pauca formidine, nec per omne vitæ spatium in impia hac sententia perseverant. Nullo enim modo hoc implicat contradictionem, siquidem notitiâ illa DEI naturalis actualis, quippe quæ ipsa hominis essentia non est, ab homine ad certum tempus abesse potest. Quapropter non semel, sed iterum atque sæpius fieri experieris, quod non solum impij homines, verum & pii, DEoque grati in tentationes ducantur, ut dubitent ad tempus, an aliquod supremum Numen existat. Accedit insuper permisso DEI, Satanæ astus & potentia, hominum mentes excæcantis & ad damnosæ huic sententiæ: non datur DEus, subscribendum adducentis. Certè Atheorum ejusmodi existentiam non est ut in dubium vocemus. Videmus enim, quod dolendum maximè, non raro nobis homunciones quosdam obviam fieri, qui expressis verbis existentiam DEI negantes, omnem DEI cognitionem, cultumque, quantum in se est, non solum sibi, verum & aliis

ex

ex animo evellere, & in totum delere conantur. Missis superioribus seculis, compertum habemus, & hoc nostrum, in quo multæ aliæ hæreses vigent, ab his liberum haud fuisse. Talis erat omnium fermè notissimus, Lucius, vel ut vocari malebat, Julius Cæsar Vanninus, Professione Medicus, qui ad Atheismum propagandum, Neapoli cum tredecim Commilitonibus emissus, in Galliâ directè, & exsertis verbis negavit dari DEum. Sed anno XIX. blasphemix suæ pœnas dedit, cum, exsectâ antea blasphemâ lingvâ, rogo impositus combureretur. Circa annum quoque LXXVI. improbus quidam homo fuit, Matthiæ Knutzen nomine, qui, ut alibi locorum, ita & in celeberrima Academia Jenensi, blasphemis, & mendacibus chartis sparsis, DEum esse expressis verbis negavit, divinamque veritatem, Biblia puta sacra, destruere conabatur, dum bellæ fabellæ loco ea volebat haberi, quæ Belluæ, i. e. ex mente impostoris, Christiani, rationem captivantes, & cum ratione insanientes, delectarentur. Refert hæc B. D. Joh. Musæus, (d) qui & ipse furorem hujus scurræ retudit. His Atheis, quotquot etiam fuerunt, hodie sunt, ac olim erunt, multi celeberrimi viri masculè sese opposuerunt, quos inter nominandi, nostræ Academiæ quondam lumen illud, B. D. Cobabus (e) Magn. Dn. D. Franck, (f) & ut plurimos silentio præteream, noster Magn. Dn. D. Wolffius, Patronus, Præceptor, ac Hospes noster, Parentis loco ætatem devenerandus, qui vel uno verbo, sententiæ eorum absurditatem ostendens, contra eos divini Numinis existentiam apertè demonstrat, quando eos ita alloquitur: (g) *Unde vero tu! qui negas DEum, ortum habes? Sane non à te ipso, sed ab alio, qui, cum parilis tecum sit conditionis, alteri pariter suum esse debet, & sic porro, donec tandem deveniatur ad primum hominem, qui non ab alio homine se priore, sed causâ, se excellentiori, suam originem traxerit, quæ aliunde esse suum non acceperit, sed à se ipsa necessario semper extiterit, quam nos DEum vocamus.* Licet vero Atheos Theoreticos, directos quidem

C

dem

dem, sed hæsitantes dari non diffitendum, nunquam tamen, ubi ubi sis, Atheos invenies Theoreticos obfirmatos, h. e. homines qui non ad certum tantum tempus, sed per integrum vitæ suæ spatium, in intellectu suo certi sunt, & fixam habent sententiam: nullum in orbe Numen esse, neque etiam ullum in conscientia contrarium stimulum sentiunt. Huic malo universalis & communis gentium consensus reclamatur ex ratione quam reddit Magn. D. Schmid. cum dicit: *Si omnis cognitio Numinis planè eradicari e mente posset, tum nullum in homine remaneret lumen, quod excitatâ conscientia illum redderet inexcusabilem, quod tamen absurdum est, scilicet, quoniam DEUS vult, ut omnibus in sit ea lex, a qua semper, ad mortem usque, si quid male agant, accusentur.*

(a) *de plac. Philos. L. I. c. VII.* (b) *phil. prim. P. I. c. IV. th. IIX. p. 329. 330.* (c) *Disp. sel. P. I. p. 118.* (d) *Introduç. in Theol. P. II c. V. §. XI. p. 309. 310.* (e) *Ath. proprio gladio fugal.* (f) *Ath. Convict.* (g) *Disput. de DEO nostro Trinitario §. I.*

X.

PRIVATIO EST, ET NON EST PRINCIPIUM ESSENDI SUBSTANTIARUM MUNDANARUM.

Prinçipia essendi substantiarum mundanarum trifariam sumi posse edocti sumus. I. quidem strictissimè, pro causis tantum internis, quæ essentiam rei ingrediuntur, materiâ, atque formâ. Et in hac acceptione principiis fiendi contradistingvuntur. II. latè pro causis tum internis, materiâ & formâ, tum externis, quæ essentiam rei non ingrediuntur, sed ab extra eam producunt, & extra eam manent, efficiente, atque finali. Et sic cum principiis fiendi eadem habentur, vel confunduntur potius. III. denique latissimè pro omni illo, unde substantiæ mundanæ dependent, sive tanquam à causa interna, sive tanquam à causa externa, sive tanquam à termino à quo. Vocabulum quoque privationis pluribus unâ significatione gaudere in propatulo est. Quem enim fugit illud, primo, in ampla quadam significatione usurpari? quatenus complectitur carentiam cujuscunque formæ in quocunque subjecto, quo sensu

fu & puræ negationis vocabulum sub eo continetur. Se-
 cundo propriè illud accipi? pro sola carentia formæ in sub-
 jecto capaci. Et hæc rursus, sic sumpta privatio, duorum
 est generum. Una est absentia formæ quæ antea existit in
 subjecto, adeoque formam consequitur, & privatio Logi-
 ca audit, altera est formæ, quæ nondum existit, sed futura
 est saltem, quam subjectum aptum natum est recipere.
 Aliàs formam antecedentis, & privationis physicæ nomi-
 ne nuncupari fœvit. Privatio non est principium substan-
 tiarum mundanarum in latâ significatione, quia hic nega-
 tio includitur, nec etiam in propria, si privatio Logica, seu
 formam consequens attenditur, quoniam per eam substan-
 tia destruitur, sed est principium in propria significatione ac-
 cepta, intellectâ privatione physicâ, seu formam antece-
 denti. Sed nec hæc privatio absolutè principium corporum
 naturalium haberi potest aut debet. Non est, voca-
 bulo principii essendi in strictissimo, aut latiori significatu
 accepto, quia nec per communicationem proprii esse, nec
 per influxum aliquem positivum ab extra eam constituit. Re-
 cte tamen dicitur privatio principium substantiarum mun-
 danarum in latissima acceptione. (a) *Potest aliquid*, verba
 sunt Svarezii, (b) *ex alio per se oriri, ut ex principio, non per po-
 sitivum in fluxum, sed solum propter necessariam, & per se, ha-
 bitudinem ad aliud.* Quomodo privatio inter principia rei na-
 turalis numeratur ab Aristotele, quæ mediam quandam ratio-
 nem habere videtur inter duos modos principiorum, (quando
 vel principia intrinsece rem constituunt, vel quando esse
 influunt in rem & extra illam manent) *declaratos.* Sine e-
 nim privatione, non potest intelligi, ac definitione expli-
 cari generatio, hac vero, una cum materia & forma, imo
 cum efficienti atque finali causa, servatâ, optimè eadem
 concipitur atque definitur.

(a) *Vid. Præcoll. Dni. M. Treunerii Coll. phys. MSS. Sect. II.* (b) *Metaph. Disp. T. I.
 Disp. XII. §. IV. n. VI. p. 236.*

XI.

EX SUBSTANTIA NON SENTIENTE, SENTIEN- TEM, ET VICE VERSA, EX SENTIENTE NON SENTIENTEM, ALIUS GENERIS, FIE- RI, REFERUNT.

Tanta sunt omnipotentis DEI opera, ut, eum qui cum animo diligentius ea perpendit in admirationem rapiant. Quis igitur est, qui DEum vi omnipotentiae suae substantiarum quibusdam animam sentiente non gaudentium virtutem producendi substantias sentientes donare potuisse negare aut inficias ire aufit? Sed quamvis de potentia nemini, proculdubio, dubium remanserit, non tamen semper actu fit, quod quidem esse, aut fieri potest, juxta tritum illud: a posse ad esse non valet consequentia. Undenam E. persuadebimur ad credendum quod haec talia actu ita se habeant? Celeberrimus ille Erasmus Francisci id ipsum fortassis nos edocebit. Profecto! lectione scriptorum hujus viri admodum licet delectati simus, praeter alia tamen mira miramur maxime, quod in Ost- und West-Indischen/ wie auch Sinesischen Lust- und Staats-Garten/ (a) de generatione avis Tunghoafung ex flore Tunghoa abs ipso relatum legimus. Non transcribemus quae praeterea (b) de lacu Hoeineao, provinciae Junan, in China, refert, quod, certae cujusdam arboris folia, ut primum in eum deciderint, statim in aviculas nigro colore pennae tectas permutentur, ut incolae dietae provinciae daemones has esse credant. Ideoque lacus ab ipsis vocatur Hoeineao, i. e. ein Vogel-Geber. Restant quae de anseribus Schotiae, qui Clakis vel Berniclas Schotis dicuntur, apud ipsum legenda exstant. De horum autem generatione haec habet: Das Nest oder Ey des Vogels Bernicla hat niemand gesehen; welches kein Wunder; weil dieselben Vögel ohne Zuthuen und Wirkung der Eltern/ auff diese Weise werden generirt. Wenn auff eine gewisse Zeitlang/ der Schiff-Baum in dem Meer gesaulet/ oder sonst eine Plancke/ oder Seegel-Holz: brechen daraus von Anfang etliche Schwämme herfür/ darinnen man/

man / nach Verfließung einiger Zeit / gar deutliche Figuren / und gestalten der Vögel sehen kan / die hernach mit Federn bekleidet / endlich lebendig und flug werden. Ad sunt ipsi testes viri *ἀνομιῶν*, ut relationes hæ non fabulæ aut anilia videri debeant. His hæctenus commemoratis haud absimile videtur, quod Lemnius (d) de generatione Aphiarum scriptum reliquit. *Aphia* (*ἄφωη*, germ. ein Sticherling) verba ejus sunt, *minutissimi pisces, ex spuma maris apud Batavos, copiosè generantur, ubi post diuturnas siccitates copiosi imbres ingruunt.* Plura qui de hac materia desiderat, Schottum (e) evolvat, ubi, quod quærit, inveniet. Sed, uti ex substantia non sentiente sentiens, ita ex sentiente non sentiens, ab ista diversi generis, fit. Non hic mentionem facturi sumus transmutationis Nymphæ illius Echo in solam vocem, & adolescentis Narcissi, in florem croceum, foliis medium cingentibus albis, quam eleganter, more solito, Ovidius (f) fingit; sed ob facti veritatem se commendantem locustarum in herbas transmutationem, in America contingentem, recensebimus. Legi de ea poterit supra laudatus Francisci, (g) qui etiam quomodo id fiat retulit, his quidem verbis: *Erstlich haßten die Füße an der Erden; wovon / wann die behörige Feuchtigkeiten dazu kommen / hernach Wurzeln heraus schiessen / welche die Natur in das Erdreich senckt / und in kurzer Zeit almählich gangz verwandelt. Unterweilen nimt nur der untere Theil des Leibes die Ahrt oder Gestalt einer Pflangen an / und bleibt der obere eine Weil reg, und unbeweglich wie vor / biß endlich auch dieser / und also das gantze Thierlein oder Geziefer / algemach verändert / und sein sinliches mit einem Kräuter, Leben oder Gewächs vertauschet.* Ex hæctenus E. dictis nemo ex substantia non sentiente sentientem, & vice versa, ex sentiente non sentientem alius generis fieri posse, impossibile prorsus pronuntiabit.

(a) im Vorgespräch und Einleitung / p. 35. (b) *vid. p. 36.* (c) *vid. pag. 45.* (d) *de occult. nat. mirac. L. II. C. XL. p. 412.* (e) *phys. Curios. L. VII. C. XLIX. §. III. p. 739.* (f) *Metamorph. L. III. v. 320.* (g) *l. c. p. 40. 41.*

XII.

COECUM DE COLORE JUDICARE NEQVE ABSURDUM, NEQVE IMPOSSIBILE PRORSUS EST.

Multa, profecto, sunt Naturæ & Artis mirabilia, ut, qui ea omnia recensere vellet, integrum non minoris molis volumen absolvere haberet. Varia in variis variorum Scriptorum scriptis, ea evolventi occurrunt. Præprimis in hoc genere laudandum censemus Jesuitæ, Casparis Schotti opus, Physicæ Curiosæ Titulo insignitum, in quo per multa lectu non minus digna, quam jucunda e diversis Auctoribus collecta, congeffit. Reliqua silentio præterire jubemur, cæcorum autem quæ mirabilia afferuntur, considerare, non tamen omnia transcribere, animus est. Omnibus, imo & Lippis, quod dicitur, & tonsoribus notum est celebre illud ac vetus verbum, quo quis de re quadam ut cæcus de colore judicare dicitur. Ac vel quotidie ex ore Germanorum nostrorum audies illud: *Er urtheilet von der Sache / wie der Blinde von der Farbe* / quando nimirum minus rectè quis sensisse creditur. An autem rectè, an verò minus sic pronuncietur, paulo post indicabitur. Si, quod res est, fateri licet, certe, si historiis illis fides habenda, quemadmodum, nulla ratione contrarium persuadente, haberi utiqve debet, non est prorsus, impossibile, cæcum de colore judicium ferre, ac eorum unum à reliquis discernere posse. Narrat jamjam citatus Schottus (a) ex Smetio (b) historiam, de cæco quodam naso pro oculis utente, ejusque beneficio objecta omnia discernente: sed statim hoc phænomenon solvit, ostendendo causam portentosæ hujus visionis fuisse, *quod lux & species rerum per hiatum aliquem e naso sursum in vacuum oculi cameram, ad retinam usq, viâ rectâ appulerint, ibidemq, non secus, ac aliàs, objectorum imagines depinxerint*. Videtur igitur à cæcitate cæci nomen huic homini minus rectè imponi. Cæcitas

citas namque in privatione visus consistit, hoc autem usus videtur, dum in naso, in se considerato, nulla datur radiorum receptio; quæ oculis necessariò & unice debetur. Alia tamen habet quæ veritatem asserti loquuntur. Retuleris huc forsan, quod ex Camerario (c) scribit de Francothalensi quodam, ab utero cæco, qui ex tribus filiabus cujusdam, tactu manus, formosissimam selegit. Sic & nescio quis Comes Mansfeldius, visu destitutus, solo tactu, album à nigro discernere potuisse dicitur. Alia historia, quæ ad scopum nostrum propius accedit, apud Robertum Boyle, Anglum, (d) legitur, quæ, prout eam a D. Jo. Finch. Magni Hetruriæ Ducis Anat. extraord. communicatam accepit, ita audit: *Ultrajecti ad Rhenum degit Johannes Vermaesen, eo tempore annum ætatis circiter XXXIII agens, cum non nisi biennis esset, variolis laboravit; indeq; in omnimodam cæcitate incidit. Vocatus à Doctore, affirmavit, se posse colores tactu distingvere, sed id non nisi jejunum, potu vel tantillo ipsi spoliantem ista tactus anxiositas, quæ ad delicatam ejusmodi sensationem requiratur. Postero die Doctor protulit septem portiones taniarum, totidem coloribus tinctorum, nigro, albo, rubro, cœruleo, viridi, flavo, & casto: Sed cæcus colorum mixtorum discriminationem suscipere noluit, quamvis judicare posset eos esse mixtos. Dum distinxit tania colorem, eum Pollici & indici interposuit, ita tamen ut pollici, atq; iterum dextro quam sinistro exquisitor, perceptio adfuerit. Postquam quater vel quinq; diversos colores indicasset, bis erravit scilicet appellando album nigrum, & rubrum cœruleum, sed ante errorem statim monuit duo paria non facile dignosci posse inter se ipsa. Et hæc omnia agebat oculis velatis, verebatur enim Doctor, ne aliquem visum oculorum haberet. Tandem quæsitivus ex eo Doctor: quodnam agnosceret discrimen colorum per tactum? Hoc ipsi responsum, dedit: Omne discrimen oriri ex majori minorive asperitate. Videmus itaque cæcum de colore rectè judicare possibile esse, qui vero id fieri possit, vel fiat, multis docet sæpius citatus Dn. D Schmid, in Disputa-*

Disputatione, de cæco de colore judicante, & ex ipsa relata historia patet. Neque, quod poterat objici, hic obstat, colorem esse visus objectum, jam vero tactum eo modo sibi adjudicare visui a natura adjudicatum, cum tamen sensus sphaeram virtutis suæ non transcedat. Reponetur enim, colorem vel ut absolutum, vel ut respectivum quid considerari. Isto modo color spectatur ut color, hoc modo ut visibilis est. Atque sic posteriori sensu solius visus objectum esse ultro largimur, priori vero respectu & alius sensus objectum esse potest. Sensibilia enim vel sunt propria, quæ unico sensu percipiuntur, vel communia, quæ pluribus sensibus sentiri possunt.

(a) *l. c. L. III. c. XXXIII. §. II. p. 489.* (b) *L. V. Miscell. Med. Ep. 13.* (c) *Hor. Succisf. Cent. 3. c. 80.* (d) *Exper. & confid. de color. P. 1. c. 3. n. 12.*

XIII.

ANIMÆ RATIONALIS IMMORTALITAS PHILOSOPHICIS RATIONIBUS PROBARI POTEST, ET SAT FIRMITER PROBARI NON POTEST.

SI ulla unquam Philosophicarum doctrinarum obscura est, certè Psychologia erit. Quot enim non de ipsa Auctores evolventi sententiæ occurrunt? Quæ non circa eam controversiæ eruditissimos quosque viros inter agitata sunt, & ad huc hodiè agitantur? Rectè proinde judicatur nos disputare de anima donec fiamus exanimes. Mittentes reliquas de ea moveri solitas quæstiones, perscrutabimur quid de immortalitate ipsius ratio nostra nos doceat, quidve occultet? Immortale vocari poterit, vel quod naturâ suâ & per se non est capax mortis, vel, quod gratiâ & procuratione alterius à morte defenditur. Hac quidem in significatione anima nostra est immortalis, in priori vero solus DEUS *ἕξων ἀθανάσιον* dicitur. (a) Deinde Jesuita Franc. Toletus (b) advertit: Animam intellectivam bifariam posse dici immortalem, & perpetuam. *Uno modo, ita, ut corpus*

non antecedit, sed incipiat de novo esse, tamen duret post perpetuò separata à corpore; quod alii vocant perpetuum a parte post. Altero modo, ut etiam ante corpus sit perpetua, nec de novo fiat, quod dicunt à parte ante. Hoc modo anima non est immortalis est tamen modo priori, licet non naturâ suâ, quod ante dictum, ex gratia tamen divina. Denique immortale audit, quod nullum destructionis principium in se agnoscit, quemadmodum corpora ex elementis mixta, quæ habent in se ipsis, & a se ipsis, a quo corrumpantur, ita, ut, licet ad tempus non possint corrumpi, tandem tamen corruptionem effugere nequeant. Hac ratione animæ nostræ immortalitas non infirmis rationibus philosophicis Philosophis est probata. Evolve, si libet, Platonem, (c) qui, in Socratis, cicutam bibituri, & ad mortem jamjam obeundam se præparantis persona, amicis satis superque demonstravit, animam per nullum principium destructionis internum desinere posse. Ast alio modo immortale dicitur, quod neque per principium destruens internum neque externum desitutum est. Poteritne animam rationalem hoc modo immortalem esse philosophice demonstrari? Hic ratio fileat, necesse est. Est enim res futura, à liberrima DEI voluntate dependens, quam nemo nostrum mente capere potest, multo minus ac amicus amici cogitationes, aut actiones futuras, nisi hic narraverit, præcognoscere, aut præscire valet. Atq; hinc, quod præcipue apud Plutarchum (d) legere est, ipsi Philosophi de animæ immortalitate dubitare videntur. Nos interea, quibus cœlestis doctrinæ radius affulsit, gratias agimus DEO immortalis immortales, qui immortalitatem animæ ex sua gratia absolutam, quam lumen naturæ ignorat, lumine Scripturæ, ex infinita sua bonitate, nobis revelari voluit.

(a) 1. Tim. VI. 16. (b) Com. in Arist. de anima L. III. c. V. Qu. XV. f. m. 145. (c) Dial. de immort. An. s. Phæd. (d) Lib. de sera Num. Vindict.

XIV.

ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑ EST LICITA, ET NON EST LICITA.

Tantum abest ut homo se ipsum simpliciter odio habere possit, qui maximo sese, suamque vitam amat opere, teste quotidianâ experientiâ. Quando vero quis seipsum odisse videri potest, tunc id non fit absolute & simpliciter, sic enim homo à se ipso averteretur, tanquam ab objecto quodam sibi dissono; sed per accidens hoc tantum contingit, imo & haud raro sub specie boni. Hoc etiam modo mortalium quosdam mortem sæpissime lamentis & ejulatu maximo citare, & nonnunquam morti sese exponere, eamque sibi consciscere experti sumus. Non quidem vi juris Naturæ (si societatis humanæ utilitas ipsius principum primum recte statuitur) culpandi, qui pro gloria DEI, proque salute societatis humanæ, aut Reipublicæ, cujus se membra profitentur, ceteris tamen paribus, vel periculo ancipiti ultro se exponunt, vel ipsi vitam modo violento sibi abrumpunt. *Cum enim*, verba refero illustris Pufendorfii, (a) *non nobis solis vivamus, sed DEO & societati humanæ; inde si vel gloria Creatoris, vel salus societatis humanæ vitam nostram velut deponat, eam sane ad istos usus libenter consumere debemus.* Alium casum, ubi *αὐτοχειρίας* licentia deprehenditur, affert Cel. D. Simon, not. ad Hug. Grot. (b) quando Magistratus alicui ob scelus patratum mandat, ut semetipsum occidat, quemadmodum olim apud Romanos fiebat, & nunc apud Japanenses. Aliter vero se res habet cum iis, qui vel tædio vitæ miserrimæ, vel ut ingentes miseras declinent, vel imminentem ignominiosam mortem evitent, sibi manum proprio arbitrio inferunt, vitamque cum morte commutant. Hi enim nullam unquam sufficientem afferre possunt defensionem, quo minus in legem naturæ peccasse merito censeantur. Eleganter admodum hanc in rem Plato (c) scribit: *DEum quidem curam nostri habere, nos vero quandam ex possessionibus DEI esse.* Innuens soli DEO, Domino nostro, jus vitæ ac necis in nos competere, nobisque nequaquam licere vita nos ipsos privare, quemadmodum nec servo, invito Domino suo, servitio exire licet, sed hic jugum servitii, quamdiu placuerit Domino, ferat, necesse est.

(a) *de jure Nat. & Gent. L. II. C. IV. §. 17. p. 262.* (b) *de jure Bell. ac Pac. L. II. c. XIX. §. V. 4. p. m. 233.* (c) *Phædon.*

XV.

PARADOXA NOSTRA NON SUNT PARADOXA.

Ultimum hoc nostrum paradoxum ex præcedentibus fluere nemini ob-
scurum esse potest. Promissimus in Titulo Disputationis nostræ Para-
doxa Philosophica. Hæ etiam, quas explicare nobis sumus theses, sic
absolute positæ, cui non Paradoxæ, h. e. intellectui hominum repugnantes,
& ut plurimum contradictoriæ videntur? Attamen videntur, non sunt. Nam,
quam cuique paradoxorum subjectam vidisti, *εξήγησε*, ejusmodi credo sup-
peditavit explanationem, ut omnis contradictio sublata sit, ut positiones in-
tellectui nullius amplius repugnent, ut omne dubium vel penitus sublatum
sit, vel certe minutum, ut hinc pateat, alteram propositionis partem alteri
non directè, sed indirectè modo opponi. Verbo, ut B. L. fateri habeat:

Paradoxa nostrâ non esse paradoxa.

S. D. G.



Audis SCHLIGTINGUS; sed *simplex* nomine solo es:

Omine Tu sapiens compositusqve fatis.

Dotibus ingenii nam te natura beavit,

Moribus & gratis mens tibi culta nitet.

Hinc latitare neqvis, sed pleno ad culmina cursu

Contendens Sophiæ, docta per ora volas.

Sic, nisi decipiunt nos omnia, clarus in orbe

Existes, sic & præmia grata feres.

Clare docto Dno Respondenti gratui.

scripsit

BERNHARDUS BARNSTORFF.

Med. D. P. P. & p. t. Rector.

SCHLICHTINGI fatagis Paradoxa probare Sophorum,

Quis te ferre neget sic Philo-puncta-Sophi?

Præfide perdocto Sophies, age, pulpita scande:

Bella cie, pugnas, sed sine cade, cie.

Excipe, frange, nega, distingve, resolve logismos,

Tergaque responsis dent fugitiva Strophæ.

Surgat honos, nomenqve tuum vel scamna loquantur,

Bt properet Sophie nestere ferta tibi.

Spes PATRIÆ ingentis, PATRIS & tibi crede paratas

Felix, spes tantas si superasse datur!

*Ita gratulatur doctissimo SCHLICHTINGIO & suo
commendati scævissimo,*

FRANCISCUS WOLFFIUS, D.

& P. Publ. ad D. Mariæ Pastor.

Accen-

Accensus Studio perlectus 'culmina scandis;
Hinc crescunt laudes. Gratulor hæcæ Tibi.

*Florentissimi Dni SCHLICHTINGII, 'placatum Eruditionis
sua specimen publicè edentis, faustissimis conatibus
ita acclamabat*

H. C. Tielcke / D. P. P.

Parodia ad Horatii od. XVII. lib. II. qva SCHLICHTINGIUS
ad constantiam in Studio Theologico excitatur.

Cur tu vacillans exanimas tuos:
Nec Cælo amicum est, nec mihi, te prius
Mutare, SCHLICHTINGI, inchoatū
Theologies Studium beatæ.
Si Filium Te Sophiæ auferant
Castris sacratis, quid moror? haud ero
Fautor tibi æque aut post amicus
Amplius. Ille dies futurus
Vates ruinæ: nam neque perfidum
Dixi Sacramentum. Dilige, dilige
Ut unque Mosen cum Prophetis
Volvere fœdus utrumque constans.
Te nec Themistæ spiritus inclytæ,
Nec te Machaon munere splendidus
Divellet unquam: sic parentum
Pectoribus placitumque amicis.

Seu lingua, seu te studium trahat
Laboriosum, quod sacra dividit
In Concionem, seu Chimæra
Torva tyrannide te fatiget
Utrumque nostrum Incredibili modo
Consentiet Cor. Te fidei impio
Tutela Plutoni repugnans
Eripiet volucrique fato
Privabit alas: Tu populo feres
Latam frequenti post patria vocem.
Seduxerat Musis lucri ardor
Me puerum, nisi Numen Almum
Dextra tulisset, Rex hominum Angelumq;
Orbem gubernans; reddere carmina
Gratesque supremo memento.
Carmine ego moniturus adsum,

veloci calamo scripsit suo Affini

NAMAN Redelissen / P. Cathedr. Gustz.

En Flammen: reicher Geist so nichts als Tugend kennet
Verachtet was die Welt durch Fremdes Lob erhdht:
Erlachet über das was man sonst Weise nennet
Wann nicht sein Tugend: Glanz aus eignem Ruhm entsteht.
Das dieses Ewer Thun/ Hochwerthe/ gewesen
Gibt das Gelehrte Hat der Klugen Welt bekennt/
Und lässet jederman hieraus genugsam lesen/
Wie nahe EURE Ruhm der Ewigkeit verwandt.

Diese in Eyl abgefakte Zeilen wolten zu Bezeugung Ihrer Schul-
digkeit sowol dem Hn. Præsidi als Hn. Respondenten
gehührender Massen darreichen

Jhr. Magnif. Hn. D. Wolffens Sämtl. Tischgenossen.


So wiltu / Wehrtester / uns allen heute zeigen/
Wie du den Nahmen führ'st mit Recht und in der That:
Du beiffest * Gnadenreich! Es wird sich bald erängen/
Wie Gdt so grosse Gnad' in dir geleet hat.
Wollan! so fahre fort; laß alle Welt erkennen
Wie dein verschmitzter Sinn mit unermüdeten Fleiß
Sg fest verknüpffet sey: So wird dich jeder nennen
Der edlen Tugend Sohn! Disß ist der Tugend Preis!


* 17 - ried / Hinrich.
Gnadenreich.

Dieses hat aus wohlmeinenden Herzen dem Hn. Respondenti seinen
wehrtesten Hn. Dhm Glückwünschend hinzu setzen wollen

GILBERTUS Leiding / Stud.

Hamb:





the scale towards document

sed incipiat de novo esse, tamen daret post per-
corpore; quod alii vocant perpetuum a parte
odo, ut etiam ante corpus sit perpetua, nec de no-
licunt à parte ante. Hoc modo anima non
est tamen modo priori, licet non naturâ
dictum, ex gratia tamen divina. Denique
lit, quod nullum destructionis principium in
emadmodum corpora ex elementis mixta,
se ipsis, & a se ipsis, a quo corrumpantur,
tempus non possint corrumpi, tandem ta-
nem effugere nequeant. Hac ratione ani-
mortalitas non infirmis rationibus philoso-
phis est probata. Evolve, si libet, Platonem,
ratis, cicutam bibituri, & ad mortem jam-
a se præparantis persona, amicis satis super-
vit, animam per nullum principium destru-
m definere posse. Ast alio modo immorta-
vod neque per principium destruens inter-
ternum desitutum est. Poteritne animam
c modo immortalē esse philosophice de-
ic ratio fileat, necesse est. Est enim res fu-
na DEI voluntate dependens, quam nemo
e capere potest, multo minus ac amicus a-
nes, aut actiones futuras, nisi hic narrave-
cere, aut præscire valet. Atq; hinc, quod præ-
archum (d) legere est, ipsi Philosophi de ani-
tate dubitare videntur. Nos interea, quibus
næ radius affulsit, gratias agimus DEO im-
rtales, qui immortalitatem animæ ex sua gra-
quam lumen naturæ ignorat, lumine Scriptu-
sua bonitate, nobis revelari voluit.

(b) *Com. in Arist. de anima L. III. c. V. Qu. XV. f. m. 145.* (c)
An. s. Phæd. (d) *Lib. de sera Num. Vindict.*

D

XIV. ATTO-